

solliciti sint, et eis tam meritis quam intercessione subveniant; credendum est B. Virginem tantum in hoc posse, quantum utraque simul creatura; imo utraque potentior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, et angelorum ruina per hanc reparata est, et humana natura reconciliata. »

Rursum S. Anselmus apud S. Bonaventuram, in *Spectaculo*, cap. vii : « Tibi solum, inquit, loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum: inferna penetravit, coelos superavit; per plenitudinem enim gratiae tuæ, quæ in inferno erant, se laetantur liberata; et quæ supra mundum sunt, se laetantur restaurata. » Ipse etiam S. Bonaventura, cap. v, sic ait: « O quam late, et quam longe arbor illa magna, beata virgo Maria, ramos suos extendit; quam late ad homines, quam longe ad angelos, quam alte ad Deum! »

18^o EST STELLA MARIS MUNDI HUJUS.

XV
76
2.

Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum (Mat. ii, 2). — Stella maris, id est mundi hujus procellosi, quæ viam nobis per illud ostendit et præit ad portum salutis, est B. Virgo: unde nomen ejus est Maria, hebr. מִרְיָם Mariam, id est ductrix, sive magistra et ductrix maris: « Aspice stellam, invoca Mariam », ait S. Bernardus. Hinc et Ecclesia eam invocat dicens: « Ave, maris Stella, Dei mater alma. »

19^o QUOMODO SIT NEBULA.

Sicut nebula texi omnem terram (Eccli. xxiv, 6). — Mystice, B. Virgo, aeternæ Sapientiæ mater, tegit terram quasi nebula :

IX
622
2

Primo, quia hominum miseriam et nuditatem tegit sua misericordia et gratia;

Secundo, quia eorum humorem et phlegma, id est, acediam et torporem, desiccat et calefacit, eosque efficit fervidos et fecundos bonorum operum;

Tertio, sicut nebula, flante austro, adveniens solvit glaciem et rigorem ab aquilone inductum, terramque humectat: ita Virginis intercessione, per Spiritus sancti gratiam, solvit gelu et obduratio cordis a diabolo inducta, ac virentes virtutum actus producuntur. Quare S. Bernardinus, tom. iii. sermon 41, art. 41, verba illa *Eccli.* cap. xlvi: « Medicina omnium in festinatione nebulae », adaptat B. Virginis; ait enim medicinam omnium hominum esse in festiva assumptione Virginis: « Quia omnes, inquit, qui volunt, participes fiunt gratiae sue »; ac citat S. Bernardum dicentem Deiparam copiosissima caritate sua omnibus sapientibus et insipientibus fecisse debitricem; et misericordiae sinum aperire, ac de plenitudine ejus accipere universos.

20^o EST VELUT NUBES NOBIS, ET FUIT CHRISTO.

Ego in altissimis habitavi et thronus meus in columna nubis (Eccli. xxiv, 7). — Mystice, sapientia incarnata, puta Christus, Dei filius, novem mensibus habitavit in utero B. Virginis, quasi in celo animato, et in columna nubis.

IV
623
1

Quocirea multi Patres B. Virginem vocant nubem,

quod ipsa solis, id est divinæ vindictæ, ardorem temperet, animamque irroret et fecundet. Ita Chrysippus, homil. 2 de *Deipara*: « Ave, inquit, nubes pluviae potum animis sanctorum exhibentis ». Et Hesychius, hom. 2 de *Deipara*, « nubem eam dicit, pluvias incorruptas continentem. » S. Epiphanius, serm. de *Laud. Virg.*: « Ave, inquit, gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxisti per desertum. » Et iterum: « O Beata Virgo, nubes, inquit, es lucida, quæ fulgor de celo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum; nubes coelestis, quæ tonitruum Spiritus sancti in te ipsa reconditum deduxisti in mundum, et imbrex Spiritus sancti in universam terram, ad producendum fidei fructum, cum impetu demisisti. »

Proclus, episcopus Constantinopolitanus, de *Deipara*: « Haec, inquit, vere levis nubes, quæ super cherubim sedentem in corpore suo gestavit. » S. Hieronymus in *Psalm. LXXVII, 14*: « Certe, inquit, nubem levem debemus sanctam Mariam accipere. Pulchre dixit: In nube diei; nubes enim illa non fuit in tenebris; sed semper in luce. Andreas Cretensis, orat. de *Deipara*: « O columnæ, inquit, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritualem qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, divinis illuminas facibus. O nubes tota lucida, et mons umbrosus non adumbrans migratum populum Judæorum, sed dilectum Dei populum, gentem sanctam, maternis tuis tædis illustratam. » S. Bonaventura, in *Spec. B. Virg. cap. III*, ait: « Maria est nobis columnæ nubis, juxta illud psalmi: *Deduxit eos in nube*, quia tanquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis, et ab æstu diabolicae tenta-

tionis, sicut dicitur in psalmo: *Expandit nubem*, etc. Maria quoque est columna ignis in nocte sæculi hujus illuminans mundum. » Citatque illud Bernardi: « Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? »

Haec S. Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis et ignis. Sicut enim de columna hac dicitur *Exod. xiv*: *In vigilia matutina respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum*. Ita Deus per Deiparam tanquam per fenestram cœli, et per mysticam columnam ignis et nubis respiciens, dæmonis vires et potentiam penitus evertit.

Quod si denique dicas, in Dei sede plerumque Dei majestatem auctoritatemque significari, hoc quidem negari non potest; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria atque majestas divina, item attributa, præsertim potentiae et bonitatis, sicut in Virgine Deipara. Ut propterea S. Bernardinus, tom. I, *concion. LXI, art. 6, cap. IV*, dicat Deiparam appellari, *Psalm. VIII, Dei magnificentiam*.

21º FUIT PETRA QUÆ AGNUM CHRISTUM EDIDIT.

Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filie Sion (*Isa. XVI, 1*). — Mystice, petra deserti est B. Virgo, quæ iis qui ab omni auxilio deserti sunt, præsidio est instar petræ, inquit Hugo; hæc enim proximus quam Ruth edidit nobis hunc Agnum. Vide Viegas *Apoc. XII comment. III, sect. 24*.

22º EST CŒLUM ANIMATUM ET QUINTUPLEX.

V
234
2

Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos (Prov. viii, 27). — Mys-
tice, B. Virgo aderat Deo cœlos etaquas cœlestes for-
manti, quia quidquid in eis pulchri condebat Deus,
id to lum vel litteraliter, vel spiritualiter pulchrius
destinabat indere B. Virgini, quia ipsa futura erat
cœlum animatum in quo plenitudo divinitatis inhabi-
tatura erat corporaliter.

Unde Damascenus, orat. 1, *de Nativ. Virg.* : « Hodie, inquit, ex terrena natura cœlum in terra
condidit ille qui olim firmamentum ex aquis fixerat,
atque in altum extulerat. At sane illo longe divinius
est : nam qui in illo solem efficerat, in hoc justitiae
sol ortus est. » Porro non unum duntaxat, sed quin-
tuplex cœlum fuit B. Virgo, inquit S. Bonaventura,
serm. 1, *de Laud. virginis*, tom. III : « Domina nostra,
ait, fuit cœlum aereum per puritatem omnimodam;
cœlum igneum per ardentissimam caritatem; cœlum
sidereum per patientiæ firmitatem; cœlum aqueum
per frigidissimam castitatem; cœlum empyreum per
totius sapientiæ claritatem. »

Jam ab yssum aquarum spiritualium Virginis accipe
ex S. Bernardo, serm. *de B. Maria* : « Dominus altissimus eam quasi mundum specialissimum creavit,
quam in justitia et sanctitate coram ipso fundaret, et
fluentis sapientiæ irrigaret, et cœlestibus desideriis
instar aeris sublimaret, et igne dilectionis accendendo
illustraret. Hinc in ejus mente tanquam in quodam
firmamento solem posuit rationis, et lunam scientiæ,
et virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ, » etc.

23º EST VELUT CŒLUM STELLATUM.

X
387
1

Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est (Eccl.
XLIII, 1). — Symbolice, S. Bernardus per firmamen-
tum accipit B. Virginem; sic enim ait, serm. 3, *in Salve Reginæ* : « Fiat, inquit, firmamentum, et divi-
dat aquas ab aquis; omnibus firmamentis firmius
firmamentum ita Domina; quæ eum quem cœli
cœlorum capere non poterant, cepisti et concepisti,
portasti et non defecisti, genuisti, aluisti, educasti.
Tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus
videlicet æternorum ab affectibus temporalium.
Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam,
Christum et Ecclesiam; et stellas, prærogativas gra-
tiarum multas. » Et paulo post : « Ipsa tabernaculum
Dei, ipsa templum, ipsa cœlum, ipsa terra, ipsa sol,
ipsa luna et stella matutina. »

24º MARIA EST AURORA ECCLESIAE.

V
148
1

*Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit
et crescit usque ad perfectam diem* (Prov. iv, 1). —
Rupertus et Hugo de S. Victore, in *Institut. monast.*
serm. 34, id ipsum applicantes B. Virgini, que pri-
miceria, imo mater est justorum : « Beata Virgo
Maria, inquiunt, fuit aurora Ecclesiæ, quia præce-
denteris temporis, puta Judaismi et gentilismi, quod
quasi nox fuerat, finis exstitit; et veræ lucis, puta
salutis et christianismi, initium. Fuit enim ipsa Solis
justitiæ, puta Christi, qui ex ipsa genitus est, præ-
ventrix, sidusque antelucanum. Rupertus autem

asserit B. Virginem exstisset auroram in nativitate; lunam in conceptione filii, solem in assumptione ad cœlum.

25º MARIE ET AURORE ANALOGIE.

VIII
154
2

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? (Cantic. vi, 6). — Audi analogias auroræ et Deiparæ, quas e Patribus colligit noster Spinellus, cap. xxiv, de *Deipara*, num. 18. Aurora terminus est noctis et diei principium, solemque adesse testatur, nocturnas aves effugat, diurnas vero ad concinendum invitat; jugiter etiam in splendorem majorem proficit, eoque tempore decidit ros albus, quo ab aestu refrigerantur sata et foecundatur terra: ita Virgo Deipara mundo ignorantiae et peccatorum tenebris circumfusa, illuxit veluti aeternæ caliginis exterminium: Solis justitiæ non tantum prænuntia et gestatrix, sed etiam genitrix, dæmones veluti tenebrarum aves immundas longe expellit: Dei servos, et ipsos angelos, tanquam aves diei sublime volantes ad Dei laudes excitat, atque invitat, multo melius quam olim tres illi pueri, e babylonicae fornacis incendio liberi, creaturas omnes ad Deo benedicendum invitabant: cum longe majora Dei in humanum genus beneficia per Deiparam innotuerint et obvenerint. Est item sicut aurora jugiter consurgens cum in suis omnibus actibus, dum viveret, majoribus meritorum incrementis semper excreverit, et nunc ejus apud homines cognitio, et in eam pietas in dies magis magisque perpetuo propagetur, ejusque precibus divina gratia in hominum animas descendat, veluti ros albus, quo ab aestu

tentationum et concupiscentiae refrigerantur, et ad bona opera germinanda foecundantur.

Ideo Deipara ipsa à S. Germano, patriarcha Constantinopolitano, orat. *de Oblat. virg.*, vocatur ardoris, qui est in nobis, ros divinus, ac exsiccati nostri cordis divinitus irrorans aspersio; aut potius B. Virgo quasi aurora peperit rōrem Christum, qui quasi ros aestum concupiscentiae refrigerat, et animæ hortum foecundat, ac bonorum operum feracem efficit. Unde Isaias, cap. xlvi, 8: *Rorate, ait, cœli desuper, et nubes pluant justum*, puta Christum. Quocirca Durandus in *Ration. div. offic.* agens de *Festo Nativitat. B. Virg.*, asserit B. Virginem natam die 8 septembribus in sabbato, idque illucescente aurora, juxta revelationem eidam viro religioso factam, ut significaretur ipsam fore auroram, quæ solem justitiæ præiret et pareret. Ad hæc B. Virgo contra dæmones est invicta, ut castrorum acies ordinata. Audi sanctum Bernardum apud S. Bonaventuram in *Specul.* cap. iii: « Non sic timent hostes visibles castrorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum: fluunt et pereunt sieut eera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. »

26º MARIA TERRA EST E QUA PRODIIT SALVATOR JESUS.

Aperiatur terra et germet Salvatorem (Isa. lxv, 8). — Terra hæc est B. Virgo quæ rōrem Spiritus Sancti excipiens, concepit et germinavit Salvatorem. Nulla enim alia terra id præstitit aut præstare potuit.

XI
252
2
3

Ita communiter Patres. Primus ergo Adam ex virgine terra, id est vili limo, formatus est; secundus vero Adam ex purissimo sanctissimæ Virginis sanguine corpus sibi aptavit.

27º ALLEGORICE DICI POTEST MONS MARIA, ET CUR.

I
245
4

Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres in holocaustum super unum montium (Gen. xxii, 2). — Moria (mons de quo, ut videtur, agitur hic) est B. Virgo, in cuius utero templum, id est humanitas Christi est aedificata:

Primo, quia B. Virgo, in passione Christi, fuit mare amaritudinis;

Secundo, quia tam Christum quam se Deo obtulit in juge holocaustum;

Tertio, quia ipsa fuit arca testamenti continens legem Dei;

Quarto, fuit terra visionis. Quid enim visu dignius quam Virgo Deipara? Rursum, pro Moria Septuaginta vertunt *terra excelsa*; sic nihil excelsius fuit Maria infra Deum.

Quinto, quia fuit doctrix Apostolorum post mortem Christi. Rursum ipsa sicut vellus Gedeonis coelestem rorem gratiæ et pluviam Spiritus sancti copiosissime exceptit.

Denique Maria est stella maris, et mulier amicta sole, quæ totum orbem illuminat.

28º MARIA API COMPARATA ET PER APEM
REPRÆSENTATA.

VII
515
1

Pulchra sunt genæ tñæ sicut turturis (Cantic. i, 9). — Pulchræ genæ notant eximiam puritatem et vere-

cundiam B. Virginis, quæ ut turtur assidue gemebat mortem turturis, id est Christi dilecti sui: nam, ut ait S. Hieronymus, lib. I, *Cont. Jovin.*: « Turtur, avis pudicissima, semper habitans in sublimibus, typus est Salvatoris. » Hinc et ipsa pro filio in purificatione obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, Luc. ii, 24, ac cum Joseph merito servavit castitatem non solum conjugalem, sed et virginalem, ac post ejus mortem vidualem. Hinc api comparatur; apes enim copulam carnalem nesciunt, sed virgines concipiunt pariuntque suos foetus, uti B. Virgo miro modo in se copularit virginitatem et fœcunditatem, sive maternitatem. Audi S. Ambrosium, lib. I, *de Virgin.*: « Digna virginitas quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concebitus, mella componit; ros quoque Virginis est sermo divinus, quia sicut ros, verba Dei descendunt. Pudor Virginis est intemerata natura; partus Virginis foetus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. »

Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius (Eccli. xi, 3). — Symbolice, *brevis in volatilibus*, id est, abjecta et humili inter reginas et dominas, imo mulieres omnes, fuit apis, id est Virgo Deipara (apes enim sunt virgines, uti ostendi Isa. vii, 15), quæ mel, id est Christum mundi, delicias peperit. Unde de eo concinit Isaias vii, 17: *Butyrum et mel comedet*; mel enim de cœlo labitur, sic et Verbum de cœlo lapsum est in uterum Virginis. Mel ergo nostrum est parvulus Emmanuel, de quo nomine multa dixi Isai. vii, 14.

Apis ergo mystice symbolum est Christi, qui in ortu, veniens in mundum, dedit mel clementiæ, sed

in cauda, rediens scilicet ad judicium, exeret aculeum justitiae, dicens reprobis : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Item B. Virginis ac S. Joannis-Baptistæ qui melle sylvestri vicitavit, ac melle cœlestis doctrinæ nutritivit, et aculeo castigationis pupugit corda Judæorum.

V
159
2

Vade ad formicam, o piger, etc. (Prov. vi, 6). — Post hunc versum de formica, adjungitur similis de apibus apud Septuaginta in editione Romana, estque hie : *Aut vade ad apem, et disce quomodo operaria est; operationem quoque, quam venerabilem facit.* — Pro *operationem quoque venerabilem*, græce est *σέντη*, id est gravem, castam, pudicam, innocentem, splendidam, religiosam, augustam, seriam, colendam, reverendam, venerandam, quia apes sunt castæ et virgines, nesciuntque concubitum, et tamen maximum examen filiorum producunt; et quia ex rore cœlesti conficiunt mel et ceram ex qua fiunt cerei, quos accendimus in honorem Dei et sanctorum. « Digna, ait S. Ambrosius lib. II *de Virgin.*, virginitas quæ apibus comparatur; sic laboriosa, sic pudiea, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. » Unde representat B. Virginem parentem Christum, castitatis fontem. « Est enim apis animal mundissimum », ait Aristoteles, lib. IX *Hist. anim.* cap. ix. Unde Columella, lib. IX cap. v : « Maxime cavendum est, inquit, curatori qui apes nutrit, ut pridie castus sit a rebus venereis. » Et Elianus, lib. V. cap. xi : « A complexu venereo recentem agnoscunt atque illum sicut hostem insequuntur.

29º LEÆNÆ COMPARATUR.

Veni de Libano, sponsa mea..... de cubilibus leonum..... (Cant. iv, 8). — S. Epiphanius, *hæresi* 78, lib. III, B. Virginem vocat leænam, quæ est regina animalium omnium, quia ipsa peperit Christum quasi *leonem divinum*, per quem omnes leones terrestres perdomuit; imo ex leonibus agnos efficit. Additque B. Virginem unum tantum edidisse filium sicut leæna unum edit catulum et semel tantum parit; leænæ enim non contingit secundus partus. Causa est, inquit, quod leæna catulum utero gestet per 26 menses, quibus catulus adolescit ac perficitur dentibus unguibusque, quibus matricem divellit et incidit. Quare matrem in partu simul cum catulo matricem excernere asserit, ideoque non posse illam amplius foetum utero concipere, cum conceptionis locum et sedem, puta matricem, amplius non habeat. Hæc Epiphanius, sed hoc falsum esse docent physici et experientia, quæ docet leænam pluries et saepius parere.

(Vide insuper dissertationem de eadem re, quoad leænam B. Virginis imaginem, xii, 639, 1 et seq.)

30º MARIA VELUT LILIMUM INTER SPINAS ET ROSÆ COMPARATA.

Sicut lilyum inter spinas, sic amica mea inter filias (Cantic. ii, 2). — Tertius sensus, principalis : Rupertus sic exponit q. d. : *Sicut Christus velut lilyum spinis Judæorum et hæreticorum fuit transpunctus; sic et B. Virgo iisdem fuit compuneta et transfixa.* « Itaque, inquit, haæ spinæ et filiae blasphemiae sunt

VIII
63
2VII
551
2

Judæorum, sectæ sunt hæreticorum quæcumque hujusmodi spinæ laceraverunt me : quæcumque hujusmodi filiæ tibi inviderunt et mihi detraxerunt. Ubi ergo spinis compungebar, imo et clavis confi-gebar, tu præsens patiebaris mente convulnata ; et ubi tuae virginitati a filiabus derogatur, mihi quoque invidiose detrahitur. Verum sicut ego spinas pertuli quidem, sed exsuperavi : ita et de te verae citer prædicatur, quia cunctas hæreses interemisti. » Hinc ait S. Augustinus ; « Christus Jesus carnem, Maria Virgo immolat mentem. »

In *Revelationibus* S. Brigittæ, lib. VI, cap. xxx, S. Agnes illi revelavit, quasii tot etus gladii B. Virginem sustinuisse per compassionem, quot in Filio suo vulnera et plagas prævidebat et videbat. Audi quid de B. Virgine seribat S. Brigitta in *Sermonem angelico*, cap. xvi : « Sicut rosa crescere solet inter spinas, ita B. Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes ; et sicut, rosa crescente, erescunt et spinæ, sic hæc elec-tissima rosa, Maria, quanto plus erescet aetate, tanto fortiorum tribulationum spinis anctius punge-batur. » Quænam hæc fuerint ejus tribulationes, in sequentibus explicat.

Rursum ex hoc loco censem Galatinus et Bellar-minus, tom. III, lib. iv, cap. xv, sine ulla originaria laba conceptam esse Virginem : ut enim ex spinosa planta sine spinis nascitur rosa, in qua mira est et ad aspectum jucunditas, et ad odoratum jucunditas, sic ex tot peccatoribus nata est innocens et sancta B. Virgo.

Idem dicas de lilio. Quocirca, ut ait B. Petrus Da-mianus, serm. 3, *de Nativ. Virg.* : « De spinosa pro- genie Judæorum nata candescebat munditiæ virgi-

neæ castitatis in corpore ; flammescebat autem ardore geminæ caritatis in mente, fragrabat passim ardore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. » Spinæ enim inter quas lilyum esse dicitur et ex quibus rosa originem dicit, Deiparæ prosapiam Patres interpretantur, ex qua ipsa nihil asperum, nihil horridum contraxit, sed tota suavis atque a-mœna, non secus ac lilyum et rosa exstitit. Quare Sedulius, lib. II, *de Virg. sanctissima*, sic cecinit :

*Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod laedat habens, matrem obscurat honore :
Sic Eva de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit :
Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.*

Addit Dionysius Carthusianus hic : « Quamvis, in-quit, fuerint multæ virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebant ; et quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus : fuerunt et aliis spinæ, qui ex earum in-tuitu concupiscentia pungebantur. Porro Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plane extinctus ; et tamen intensa charitate erat repleta : quare intuentum corda sic penetravit sua inæstimabili castitate virginea, quod a nullo potuit concupisci ; imo potius extinxit ad horam illorum li-bidinem. »

Rursum, sicut lilyum valet adversus serpentes et venena ; sic B. Virginis invocatio singulare est reme-dium in omni tentatione vitiorum, et præsertim li-bidinis, uti experientia constat. Audi Plinium, lib. XXI, cap. xix : « Radices, inquit, lilyi multis modis

florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino potae, et contra fungorum venena. » Dioscorides vero, lib. III, cap. xc, ubi agit de lilio : « Folia, inquit, herbae illita serpentum morsibus subveniunt; eadem cocta in aqua ignibus adustionibus, et eum aeoto condita vulneribus. » Idem Dioscorides, lib. XV, cap. 1, de alia lili specie, quæ latine *iris*, italice vero *lilium cœleste* appellatur, radicem ejus cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiolus in *comm.* addit eamdem radicem in pulverem contusam, cum aceto potam, universaliter adversus omnia venena prodesse.

31º EST ROSA IN JERICHO, EIQUE ROSE PROPRIETATES ADAPTANTUR.

IX
639
2

Et quasi plantatio rosæ in Jericho (Eccli. xxv, 18). — Mystice, rosa in Jericho est B. Virgo in sublunari hoc orbe (Jericho enim hebr. *lunam vel odorem* notat): Omnia enim encomia rosæ, jam data, multo aptius convenient B. Virginis, quæ ornatissima sua pulchritudine et dignitate omnem mundi splendorem vincit. Ipsa enim est aurora rosea, virtutum gratia simul pulcherrima et uberrima, æque ac splendidissima ac fulgentissima, quæ umbris depulsis novum lumen edidit mundo, *Cant. cap. vi, 9.* Ipsa est quæ post longam peccati, tristitiae et desolationis hiemem enata, novum ver gratiæ lucis et consolationis mundo attulit. Quocirea, in dominica *Lætare*, quæ sub festum Annunciationis B. Virginis occurtere solet, rosa a Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiae gau-

diique prænuntia (ut ait Innocent. III, sermon. hac de re edito), ut inde omnes agnoscant novam prolem et propagationis spiritalis sobolem editam in Ecclesia, cum scilicet ipsa purissima Virgo lætitiae et exultationis florem, ornamentum humani generis, et totius orbis auctorem in se concepit et corporavit. Insuper rosa verecundiæ et virginitatis insigne, quam, nisi Virginem virginum denotat? Sane Columella, lib. X, rosam florem pudicitiae plenum nuncupat. Ad haec, odorata est rosa, et odore diffuit. Quis vero in Maria virtutum omnium quasi odoramentorum fluxum non sentit? Quis eo non trahitur, et suavitate non allicitur?

Quis in illius unguentorum odorem non currit? Etenim per eam maximum odorem *notitiae suæ Christus manifestat in omni loco* (ut ait Paulus, II, *ad Corinth. ii*). Divinitatis thymiana, amomum, muscum, et omnem pigmentorum exquisitam elegantiam effundit et efflat, et quasi balsamum aromatisans odorem suavitatis emittit, floribusque paradisi (ut ait S. Epiphanius), totum mundum exornat; adeo ut merito rosa Jericho fuerit appellata.

Quare B. Cyrillus Alexandrinus, orat. *Contra Nestorium*: « Hæc est Virgo, inquit, per quam sancta Trinitas in universo orbe glorificatur et adoratur; per quam angeli et archangeli letantur, per quam dæmones fugantur; per quam tentator diabolus de cœlo decidit; per quam prolapsum plasma in cœlum de-nuo subvehitur; per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis cognitionem perducta est; per quam exultationis oleum consecratur; per quam toto terrarum orbe fundatae sunt Ecclesiæ; per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam; per